Bel

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PRIOR

DE

# REPETITIONE DOTIS ET ILLATORVM

von

# Zurückforderung des Braut-Schatzes und Weiblichen Einbringens



QVAM

PRÆSIDE

D. IO. HARTMVTH RAYS

CONSILIARIO HASSO-DARMSTATTINO, PROFESS. IVR. ORD. H. T. ORDINIS SVI DECANO

DIE FEBR. MDCCXLI.

PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

PHILIPP. GEORG. DRAVDT

LICHA WETTERAVVS.

---

GISSÆ

EX OFFICINA IOANNIS MVLLERI.

*ILLVSTRISSIMO COMITI*

DOMVS HOHENSOLMENSIS ILLVSTRISSIMAE

COMITI

# PHILIPPO ERNESTO

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

# ILLVSTRISSIME COMES
## DOMINE CLEMENTISSIME.

TAcito hactenus flagravi desiderio nanciscendi occasionem, qua TIBI, ILLVSTRISSIME COMES, aliquod devotissimæ mentis meæ signum reddere liceret. Subsentio autem eo adhuc res meas esse loco, ut voti hujus vix aliter compos fieri queam, quam si munusculum hocce chartaceum TIBI offerrem. Talia enim sunt, quæ Musæ

Musæ largiuntur, pretiosioribus destitutæ. Equidem tremula manu ILLVSTRISSIMVM NOMEN TVVM huic opellæ præposueram, sed postea animum hæsitanti addiderunt tum singularis TVA clementia, vix unquam laudibus sat dignis deprædicanda, qua defectum virium mearum TE gratiosissime suppleturum confido; tum etiam maximus ille, quo liberales artes studiaque semper prosequi soles amore & affectu, adeo ut & IPSE relictis patriis Musarum sedes elegeris, atque cum iisdem doctissimum habeas commercium. Sunt hæ, quas submississime offero, studiorum meorum primitiæ. Tametsi vero egomet ipse illas ita comparatas esse haud existimem, ut pro summo, quo excellis, ingenii acumine aliquam TIBI afferre possint delectationem, easdem tamen saltem non ingratas fore spero, atque ut ea, quæ votis meis respondeat, gratia illas accipias, demisse

rogo.

rogo. Cæterum DEO, ſummo omnium rerum Moderatori, pro ſalute & incolumitate TVA ſupplico. Soſpitet TE ad extremos vitæ humanæ terminos, ILLVSTRISSIMAMque DOMVM TVAM per ſecula inconcuſſam perennare jubeat.

ILLVSTRISSIME COMES
DOMINE CLEMENTISSIME
ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE TVAE

Cultor humillimus

PHILIPP. GEORG. DRAVDT.

*I. N. D. N. I. C.*

# CAP. I.

## GENERALIA AD MATERIAM PERTINENTIA TRADIT.

### §. I.

ERuditorum nemo eſt, quem lateat, receptas in germaniam leges romanas tantam ſecutam eſſe juris illius peregrini & patrii quoad plurima capita confuſionem, quantam ante illarum receptionem vix quisquam divinaverit. Nec etiam aliter fieri poterat, dum germani nimio peregrinæ rei amore, quem cum lacte nutricis ſuxiſſe videntur, capti, & ſimul legum conſuetudinumque ſuarum patriarum tenaces, quæ in diſceptatione verſabantur cauſas dijudicarent, ad quam Jurium permixtionem fato quodam minus benigno quaſi condemnata, magnam partem hodieque agit germania. Inſignem præ aliis Jurium confuſionem haud exiguo ſuo malo experta eſt doctrina de jure dotium, adeo ut non ſine ratione conqueratur Illuſtr. HEINECC. *elem. Jur. Germ. Lib. I. §. CCXLIV.* quod ipſas veluti linguas in illa confuderit Juris romani & germanici confuſio. Ne autem ſingulas hujus permixtionis ſpecies exponendo actum agamus, quum Ill. a LUDEWIG id ipſum duabus jam diſſertationibus, altera *de differentiis Jur. rom. & germ. in dote & donatione propter nuptias:* altera *de differentiis Jur. rom. & germ. in dote mariti* id ipſum præſtiterit,

*Confuſio juris romani & germanici in multis capitibus.*

*ſpeciatim quoad doctrinam de jure dotium.*



atque

atque nos hoc labore exemerit, illud ſaltem hujus doctrinæ caput, quod de dote ſoluto matrimonio repetenda inſcribitur, variisque itidem implicatum eſt tricis, ad qualecunque examen revocaturi, ſuæ luci & principiis, quibus deciſionem cauſarum in foris germaniæ controverſarum ſuperſtruere liceat, reddere conabimur.

§. II.

*Quæſtio de repetitione dotis exigui uſus eſſe videtur.*

Verum eo nomine forſan videmur reprehendendi, quod aggrediamur tractationem talis modi materiæ, quæ majoribus noſtris plane fuit incognita, & quæ vel centum annis vix ſemel in hodiernis judiciis occurrit, adeoque merito inter caſus inſolitiſſimos referri debet: repetitio quippe dotis vel pactis dotalibus, omnium fere matrimoniorum comitibus, vel Juribus ſtatutariis, vel denique communione bonorum, per totam germaniam vigente, impediri ſoleat, & proinde nullum amplius ſibi vindicare queat locum: Si vero vel maxime tandem aliquando quid controverſiæ circa eam decidendum veniat, tot tantaque proſtare commentariorum ad Pandectas volumina, ut qui tit. *ſoluto matrimonio* evolvat, conſilium ex illis petiturus, non niſi bene conſolatum abire ſinant. Equidem haud gravatim concedimus, majores noſtros ignoraſſe hodiernam dotis repetitionem; Sed illas quoque ignoraverunt dotes, quas a patriis moribus deficientes recepimus poſteri; imo & nos illam etiamnum ignoraremus, ſi puriores majorum noſtrorum mores, & inſtitutis romanicis non permixtos retinuiſſemus. Teſtis omni exceptione major TACITUS *de mor. germ. cap. 18.* tradit, quod *apud germanos dotem non uxor marito, ſed uxori maritus attulerit.* Contra ea JCti Romani, teſtes itidem fide digniſſimi, *tot. tit. ff. de jure dot. & paſſim* probant, quod *apud Romanos uxor marito dotem attulerit.* Nec dubitamus,

*Majores noſtri ignoraverunt dotem romanam,*

priſcos

priscos illos germanarum gentium mores media adhuc ætate ad receptionem usque Juris romani salvos perennasse. Postquam vero jus hoc peregrinum civitate germanica donari cœpisset, germanique mares uxores potius romanas, i. e. dote instructas, quam germanas, i. e. dote carentes, amarent, & hodie rari admodum sint, qui has illis præferre malint, pristina hujus rei facies prorsus est immutata, & hoc juris peregrini caput de repetenda soluto - quin etiam aliquando durante adhuc matrimonio dote in foris patriis adeo frequens existit, ut vel minime inter casus insolitos, nedum insolitissimos referri debeat. Plura matrimonia vel omnino, vel ejusmodi saltem pactis dotalibus, quibus de repetitione dotis quicquam cautum esset, destituuntur, tantumque abest, ut Jura statutaria eidem ubivis locorum obsistant, ut potius plurimæ non tantum provinciæ singulares hac de re constitutiones, consuetudinesve ignorent, sed ipsa etiam jura provincialia, passim obvia, plerumque nimium generalibus, vel saltem ambiguis concepta verbis causam injudicatam relinquant, & novis litibus ansam subinde præbere soleant. Immo ipsa bonorum communio, quæ majoribus nostris ideo se magnopere commendabat, quod ea præcipuum controversias matrimoniales defugiendi medium reputaretur, diversissima in germania sese habet ratione, atque nunc quidem mater est litium circa dotis repetitionem nascendarum fœcundissima, in quibus decidendis si ad syntagmata juris romani recurramus, & denique ad dictum tit. *ff. soluto matrim. dos quemadm. pct.* ceu ad sacram ancoram confugiamus, multa profecto de nullius in praxi germaniæ usus distinctione inter dotem profectitiam & adventitiam, multaque alia jura obsoleta deprehendimus, quæ vero ad justam & æquam litium illarum decisionem

*usque ad receptionem juris romani.*

*Mares germani amant uxores romanas.*

*Caput de repetenda dote in foris nostris frequens.*

*Communio bonorum inter conjuges diversa plane in germania sese habet ratione.*

in foris nostris adhiberi queant principia, si quæ passim sunt obvia, rariora tamen, & quæ huic materiæ haud sufficiunt, tradi solent. Quamobrem sigillatim de iisdem disserendo, nil reprehensione dignum nos commissuros esse speramus.

## §. III.

*Dotis homonymia,* Dos igitur (cujus originem sive a græco δῶς, sive a latino *do* repetas, idem est) vel conventionem, qua de dotis constitutione agitur, vel jus, quod marito in rebus dotalibus competit, vel ipsas res dotales denotat, qua ultima significatione hic nobis venit. *ejusdem synonymia.* Germanis olim dici solebat *Wittemon*, vid. LL. Burgund. tit. 79. 86. & additam. 1. Tit. 14. procul dubio a Wiedmen, nec non *meta*, vid. LL. Longobard. Reg. Rotharis. cap. 167. 178. & Luitprandi Lib. VI. cap. 35. & 61. item *Morgengaba, morgangeba,* sive *morgingab*, vid. LL. Burgund. tit. 42. LL. allamann. tit. 56. LL. Longobard. Reg. Luitprand. Lib. II. cap. 1. & Lib. VI. cap. 64. Ill. de LUDWIG cit. Diss. de dote mariti &c. Diss. 1. §. 7. hodie Brautschatz, Brautgabe, Heurachs-Guth, Mitgifft, Mitgabe, Ausstattung, Aussteuer, Ehesteuer, Tochter-Guth, SCHILTER *Exerc. ad ff. XXXVI. th. 73.* aliaque ejus fuit secundum jus romanum, alia secundum leges & mores germanorum ratio: *Definitio ejus ex jure romano.* Illis *dos sunt res ab uxore, vel alio ejus nomine, marito pro ferendis matrimonii oneribus traditæ:* *Definitio ejus ex jure germanico.* His vero *dos sunt res a marito uxori eum potissimum in finem traditæ vel promissæ, ut marito superstes ex iis vitam honeste sustentare posset.* *Quid per illata intelligatur.* *Illata* in iis locis, ubi communio bonorum vel universalis vel generalis viget, synonymice cum dote accipimus, in aliis vero eadem doti contradistinguimus, atque bona paraphernalia hac voce indigitamus. Equidem inficias ire nolumus, etiam inter ipsosmet priscos Teutones ab uxore munera

quæ-

quædam, Longobardis *faderphium*, quasi Vatter-Vich dicta, vid. *LL. Longobard. Reg. Rothar. cap. 182.* marito dari consuevisse, his muneribus tamen dotis nomen, nisi forte a Wisigothis Jura romana imitantibus, unquam impositum fuisse vix apparebit. Probamus id ipsum testimonio TACITI *cit. cap. 18.* manifeste asserentis, *quod dotem non uxor marito, sed uxori maritus obtulerit.* Qua in re majores nostri, si in ulla alia, præcepta moralia optime secuti, in eaque, qua Megadorus apud Plautum, & cum eo CARPZOV. *Diss. de Jur. fœm. sing. Dec. 5. pos. 1. n. 7.* sententia fuisse videntur, quod nimirum *quæ indotata est, ea in potestate sit viri, dotatæ vero mactent & malo & damno viros: malo, quia viris imperare volunt: damno, quia sunt sumtuosæ,* adeoque qui dotibus inhiant, pro adjutorio tristitiam & mœrorem ex conjugio reportent, & in servitute vivere cogantur indignissima. conf. LAVTERB. *Diss. de donat. propt. nupt. §. 1.* His gemina discimus ex legibus græcorum prohibentibus, ne sponsa ad maritum plura, quam tres vestes, & vasa aliquot non magni constantia in dotem deferat. vid. HOFFMANN. *Hist. Jur. vol. II. part. I. Collect. Leg. atticar. Lib. VI. tit. 2. pag. 108.* & ex aliarum gentium institutis retulit Ill. de LVDWIG *cit. Diss. de dote mariti &c. different. 1. lit. b.* In alia autem omnia iverunt Romani, qui mulieres indotatas si non odio prosequebantur, valde tamen ab earundem nuptiis abhorrebant, & haud secus, quam si salus suæ reipublicæ maximam partem in mulieribus bene dotatis sita esset, easdem amabant, dotium securitati optimis quibuscunque prospicientes modis. Vere ergo in illos convenit illud Poetæ:

*Vxor germana marito dotem non adferebat.*

*Quid uxor græca marito attulerit.*

*Quid aliarum gentium uxores relative.*

*Romani a nuptiis fœmina indota a abhorrebant.*

*Dic mihi, cur dicunt, solas mansisse puellas?*
*In promtu causa est, nil quia dotis habent.*

§. IV.

## §. IV.

*Adducuntur differentia inter dotem romanorum & germanorum.*

Ex modo dictis haud difficile est intellectu, inter *dotem Romanorum & Germanorum* has potissimum intercedere differentias: (1) *Illa* fere semper ex conventione quadam præcedanea, inter maritum atque uxorem, aliumve, qui hujus nomine dotem præstabat, celebrata, constituebatur. *Hæc* vero, nulla tali prævia conventione, a marito pro conditione & facultatibus suis constituta, ejusque determinatio solius sponsi arbitrio a sponsa, de amore & provisione ipsius certa, relicta videtur. (2) *Illa* est vel *profectitia*, quæ a patre, vel etiam ejus intuitu ab alio constituitur, procul dubio ita dicta, quod soluto matrimonio pater illam instar peculii profectitii repeteret, *L. 6. pr. ff. de Jure dot.* vel *adventitia*, quam uxor aliunde v. g. a matre, vel alio absque intuitu patris consequitur. *Hæc* vero illam divisionem respuit. (3) *Illa* constituebatur marito ab uxore. *Hæc* uxori a marito. (4) *Illius* finis erat, ut maritus eo magis par esset ferendis matrimonii oneribus. *Hæc* eo spectabat, ut uxor, quæ marito superviveret, haberet, unde vitam honeste & pro dignitate toleraret, adeoque (5) *illa* vel statim sub ipsum matrimonii initium numerari atque tradi debet, secus marito ad illam exigendam comparata est actio, *hujus* autem traditio ut statim fiat, necessarium non est, sed vel sub ipsum matrimonii finem præstari potest & solet. (6) *Illius* dominium, suo modo restrictum, ad maritum transfertur. *Hujus* vero uxor saltem consequitur usumfructum, quem ipsum tamen Juris germanici scriptores dominium utile dicere amant. (7) *Illius* periculum, excepto casu, quo certæ species nudæ taxationis gratia in dotem datæ sunt, pertinet ad maritum dotem accipientem. *Hujus* vero interitus non uxorem, quæ dotem accipit, sed constituentem ejus-

ejusve heredes eam ipsi restituere tenebantur. *Hanc* vero repetunt heredes mariti, non quidem simulac matrimonium est solutum, sed post viduæ demum marito superstitis mortem. Ex quibus cum affatim pateat, quam multis dos romana & germana inter se distent modis, pluribus earundem differentiis recensendis supersedemus. Interim ex adductis differentiis & hoc cognosces, dotem germanorum illud ipsum, quod hodie mutato nomine dotalitium nuncupamus, fuisse.

*Dos germanorum est illud ipsum, quod hodie dotalitium dicimus.*

§. V.

Quærenti autem ex nobis, utra harum dotium, *germana an romana* Teutonibus hodie sit vel retenta, vel recepta? respondemus: *& hæc & illa.* Quin nec binæ istæ species illis suffecisse videntur: etenim aliam præterea, eamque tertiam speciem, quam *mixtam* dicere haud abs re erit, plurimis germaniæ provinciis in consuetudinem venisse animadvertere licet. Vt igitur mixtæ hujus dotis natura eo evidentior fiat, præmonendum fuit, antiquissimis quidem Reipublicæ romanæ temporibus communionem bonorum inter conjuges, illos saltem, qui per confarreationis ritum matrimonium contraxerant, fuisse usitatissimam, imo a Romulo præceptam singulari lege lata, cujus verba hæc refert HOFFMANN *Hist. Jur. vol. II. part. I. pag. 17. mulier viro legitime conjuncta fortunarum & sacrorum socia illi esto: atque domus ille dominus, ita & illa domina: atque defuncto viro, non secus ac filia patri, heres esset, in portionem quidem æquam, si liberi extarent, ex asse vero si minus.* Idemque testatur DIONYS. HALICARN. *Lib. II. pag. 95.* γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *mulierem nuptam, quæ juxta leges sacras convenerat cum viro, participem esse omnium bonorum & sacrorum,* adde COLVMELLAM *de re rustica*

*Dos romana & germana hodie Teutonibus usitata, imo & alia dotis species, quam mixtam dicimus.*

*Natura hujus exponitur, eumque in finem origo communionis omnium bonorum præmittitur.*

*Communio hæc a Romulo introducta quoad illos, qui per confarreationem conjuges facti.*

*Lib. I. cap. I.* qui de communione illa hæc ſcribit: *erat olim ſumma reverentia cum concordia & diligentia mixta, flagrabatque mulier pulcherrima diligentiæ æmulatione, ſtudens negotia viri cura ſua majora & meliora reddere. Nihil conſpiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus aut fæmina proprium eſſe juris ſui diceret.* In hoc matrimonio, confarreationis ritu interveniente contracto maritus omnia uxoris bona dotis nomine accipiebat, vid. CICERO *Topic. IV.* & uxor, quæ hoc modo in manum mariti convenerat, fiebat materfamilias, filiæ loco habebatur, maritoque ſua heres exiſtebat, VLPIAN *in Fragm. Tit. IX.* ibique SCHVLTING *in Jurisprud. antejuſt. not. 1. 2. add. Tit. XI. §. 13. ibique not. 38. & Tit. XXII. §. 14. ibique not. 42.* GELL. *noct. attic. Lib. IV. cap. 3. & Lib. XVIII. cap. 6.* proinde nulla in hoc matrimonio erat bonorum uxoriorum in dotalia, paraphernalia & receptitia diſtinctio. Quemadmodum vero ille nubendi ritus ſenſim ſenſimque, & ipſo cum populari, ut videtur, romanorum ſtatu, vel haud multo poſt in deſuetudinem abiit, ita & bonorum communio inter conjuges, niſi forte de ea ineunda pacti fuerint. vid. *L. 16. §. ult. ff. de alim. leg. L. 17. §. 1. ff. ſolut. matrim.* obſolevit, adeo ut accuratiſſimi quique Juris romani interpretes præter communem & promiſcuum rerum uſum, nullam inter conjuges bonorum communionem agnoſcant, ullumque hujus communionis veſtigium in Jurisprudentia Juſtinianea extare negent, quæ ſententia tam *L. 51. ff. de donat. int. vir. & uxor.* quam admiſſa in *L. 9. §. 3. ff. de jur. dot. L. 8. & ult. C. de pact. convent.* vulgatiſſima illa bonorum in dotalia, paraphernalia & receptitia diſtinctione optime firmatur, quandoquidem ut hæc diſtinctio cum univerſali bonorum communione ſimul ſtare queat, tantum abeſt, ut potius ei repugnet, & una alteram tollat. Eodem etiam modo ſecun-

*Hic nubendi ritus, & hæc bonorum communio cum ſtatu romanorum populari in deſuetudinem abiiſſe videtur. In Jure Juſtinianeo nullum hujus communionis bonorum extat veſtigium,*

ſecundum jus canonicum ſe rem habuiſſe, nec *cap. 2. X. de donat. int. vir. & uxor.* huic aſſerto contrarium eſſe cenſemus.

*nec juri canonico illa videtur cognita.*

## §. VI.

Quod ad germaniam attinet, TACITI minimum ætate conjugalem hanc totorum bonorum communionem inter Teutones ex omni parte viguiſſe, non ſine ratione colligitur ex eo, quod *de mor. germ. cap. 18.* fere in fin. mulierem ſub ipſis matrimonii initiis admonitam docet, venire ſe laborum periculorumque ſociam, paſſuram idem & auſuram cum marito in pace & bello. Subſecuto medio ævo facies hujus rei majorem in modum fuit immutata, ita ut frequens quidem adhuc *univerſalis* inter conjuges bonorum communio, frequentior tamen *generalis*, rariſſima, ſicubi eſſet, *particularis*, occurrat: immo ex quibusdam regionibus, quas v. g. tenebant Burgundiones, Alamanni, Bojoarii, Anglii, Langobardi, communionem hanc penitus exulaſſe propterea veriſimile eſt, quod legibus harum gentium nihil quicquam de illa cautum legatur, verum nonnulla potius iisdem contineantur, quæ illi repugnant. *Iſtam*, univerſalem nimirum communionem, Saxonibus, Suevisque arriſiſſe tradunt, conf. Sachſen-Spiegel *Lib. I. art. 31. ibi:* Man und Wiff en hebbet nyn getweyet Gut rc & Schwaben-Spiegel *cap. 271. edit. Berg.* ibi: Man und Weyb mügent nicht haben kain Gut getzwayet rc. de quo tamen non ſine ratione ſubdubitat BERGER. *in Reſolut. LL. obſt. tit. pro ſocio. pag. 265. ſeq. Illa*, generalis nempe, quoad ea, quæ durante matrimonio acquirebantur, Wiſigothis, Francis, & Weſtphalis recepta fuit, vid. *LL. Wiſigoth. Lib. IV. Tit. II. cap. 16. LL. Ripuar. tit. XXXVII. §. 2. LL. Saxon. tit. IX. Hanc* vero, particularem ſcilicet, in antiquis germanorum Legibus hactenus quidem nobis

*Inter germanos Taciti temporibus univerſalis bonor. comm. obtinuiſſe videtur.*

*Frequentior poſtea inter eos fuit generalis bon. communio.*

*Quædam germanicæ gentes neque hanc agnoverunt.*

*U. B. C. Saxonibus Suevisque arriſiſſe tradunt, de quo tamen dubitat Berger.*

*Generalis B. C. quoad acquæſtum Wiſigothis &c. recepta fuit.*

*Particularis B. C. inter*

*conjuges in antiquis LL. german non occurrit.*

nobis reperire non licuit; nihil tamen est, quod impediat, quo minus & hæc inter illos maxime conjuges, quibus universalis, vel generalis bonorum communio displiceret, speciali conventione iniri potuerit. Quo pacto hodie in germania comparatum sit, res ipsa loquitur. Antiquis illis Legibus antea allegatis pridem misimus nuntium, sed binæ illæ priores communionis inter conjuges species, universalis puta & generalis, si non per omnes, per plurimas tamen germaniæ provincias diffusæ longe lateque diversa licet ratione invaluerunt, nostraque ætate vigent, adeo ut maxima germaniæ pars ipsi Romulo, primo hujusmodi communionis inter Romanos Satori, paruisse videatur.

*Hodie & univ. & gener. B. C. in quampluri-mis germania provinciis viget.*

*Notantur JCti antiquioris ævi propter perversam Juris Justinianei ad hæc bona conjugum communia applicationem.*

Hoc saltem dolendum, Jureconsultos non tam recentioris (quippe quibus lux exorta est clarior) quam antiquioris ævi, applicando ea, quæ Jurisprudentia Justinianea de diversis bonorum conjugalium speciebus tradit principia, ad bona conjugum communia, a quibus tamen principia ista plane fuerunt aliena, materiam hanc multis obnoxiam reddidisse dubiis atque difficultatibus: quæ perversa decidendi lites de bonis conjugum ratio tam altas in foris radices egit, ut iis evellendis saniores hodiernorum JCtorum interpretationes & doctrinæ vix sufficiant, sed novas Principum constitutiones requirat.

## §. VII.

*Traduntur incommoda, quæ ex romani & germanici Juris confusione in hanc materiam redundaverunt.*

Incommoda, quæ ex romani & germanici Juris confusione enata in hanc materiam redundant, in eo maxime conspiciuntur, quod (1) aliquando hodie uterque conjux, & maritus & uxor dotem inferre dicantur, id quod factum fuisse meminimus in pactis dotalibus, haud ita pridem cum actis judicialibus ex provincia, in qua communio generalis quoad omnia acquisita inter conjuges statuto firmata est, ad Collegium nostrum transmissis, quorum

§. 2.

§. 2. hæc verba: Der Bräutigam bringt zur Brautgabe rc. & §. 3. Dahingegen giebt der Brautvatter seiner Tochter zur Brautgabe rc. (2) etiam iis in locis, ubi omnium bonorum inter conjuges est communio, illæ res, quas uxor sub ipsum matrimonii initium marito affert, dotis nomine fuerint insignitæ, & adhuc ita dici soleant, quum tamen non pro sustinendis a marito matrimonii oneribus inferantur, nec eum in finem, ut uxor post obitum mariti iis vitam sustentaret, constituantur, adeoque nec dos romana nec germana dici debeant. (§. IV.) (3) In hac universali communione pervulgatam Juris Justinianei distinctionem bonorum uxoriorum in dotalia, paraphernalia & receptitia crepant, multa de diversis harum specierum objectis & effectibus monentes solicite; ast communio illa diversitatem hanc ignorat, & nonnisi unam eandemque omnium rerum, tam maritalium, quam uxoriarum, (siquidem alienari queant, & licito modo quæsitæ sint) naturam atque respectum admittit, ita ut omnes res utrique conjugi pro indiviso fiant communes, & maritus in omnibus uxoris, uxor vero in omnibus mariti bonis idem jus habeat, & vocabula ista a rebus ab uxore illatis longe sint alienissima. Sed nec (4) generali bonorum inter conjuges communioni illa, quam laudavimus, rerum distinctio congruit, hæc enim communio ad omnia, quæ durante matrimonio ex bonis quibuscunque sive mariti sive uxoris acquiruntur, pertinet. Quare nec in hujusmodi matrimoniis uxores bona sua suscipiendorum onerum, sed potius quæstus alicujus faciendi gratia marito inferunt atque inferre debent, partem quippe acquisitorum laturæ; neque eo secius, invita licet Themide, in iis etiam provinciis, quæ hanc generalem communionem receperunt, illa bonorum divisio, ceu magni usus,

tota laudatur die, & qui res ineunte matrimonio ab uxore ad maritum allatas, alio quam dotis nomine appellare ausit, multis, qui aqua & igni interdicatur, dignus videbitur; & tamen omnino certum est, omnes res uxorias secundum suam naturam *bona communis alicujus quæstus faciendi causa ab uxore in matrimonium illata* dici debere: Quandoquidem uxor germana (5) matrimonii onera una cum marito sustinet, & laborum patiens quæstui operam dat, exercet opificia, in tabernis agit, nundinatur, fundos colit, &c. Contra ea uxor romana domi in Gynecæo arctis continebatur limitibus, turpe ipsi erat prodire in publicum, mercaturas facere &c. cf. Ill. de LVDWIG *Diss. de SCto Vellejano exule. Different. VII.* Et si vel maxime aliquid acquireret, id ipsum ex re mariti provenisse, & omnia durante matrimonio quæsita solius mariti esse censebantur, ne id alioquin ex turpi lucro ad eam pervenisse præsumendum esset. *L. 51. ff. de donat. int. vir. & ux.* Hinc distinctio in bona dotalia, paraphernalia, & receptitia rectius romanæ quam germanicæ uxori accommodatur.

(6) Jure romano antiquiori, Lege scilicet Voconia filiæ dos erat loco legitimæ, præterque eam nulla ipsi spes hereditatis vel paternæ vel maritalis, vid. PERIZONIVS *ad L. Vocon. Diss. II pag. 113.* Ill. HEINECC. *Syntagm. antiquit. Lib. II. Tit. VIII. §. 3.* add. CICERO *de fin. 2. cap. 17.* qua de causa uxori, ut salva semper esset dos, saluberrimis consulebatur privilegiis, ne ea carens, soluto matrimonio careret alimentis, cf. *L. 18. C. qui pot. in pign.* hinc ne quidem ipsa consentiente alienatio fundi dotalis rata est, *pr. Inst. quib. al. lic. rel. non. L. 1. C. de fund. dot.* præterea Jure prælationis & tacitæ hypothecæ gaudet, *§. 29. Inst. de act. L. 30. C. de jur. dot.* quæ privilegia eidem in foris nostris quotidie adhuc tribuuntur, SCHILTER. *Exerc. ad ff. 36. th. 78.*

*th. 78.* tametſi natura communionis tam univerſalis quam generalis ita comparata ſit, ut a ſocio, altero conſentiente, res illatæ alienari, & privilegia iſta potiori jure denegari queant & debeant. (7) Maritum fere omnes uno ore Doctores *dominum* dotis *civilem* hodieque vocitant, uxori *dominium* ejus *naturale* afferentes, quod plurimorum JCtorum, niſi facile hic ea carere poſſemus, autoritate probatum dare liceret. Verum id nominis neutri illarum ſocietatum congruit. vid. *h. §. nr. 3. 4.* (8) Dotis & paraphernalium fructus ex univerſali germaniæ conſuetudine marito addicunt, vid. Ill. LEYSER *Spec. ad ff. CCCII. med. X. XI.* BERGER *Diſſ. de diſcrim. bon. uxor. §. 17.* & ex regulis communionis tamen æquali jure etiam ad uxorem ſociam pertinere debent. (9) Multi multa de dote ſoluto matrimonio variis actionibus & mediis repetenda indiſcriminatim tradunt; aſt nullum repetitioni dotis inter conjuges, quibus vel univerſalis, vel generalis quoad quæſtum, placuit bonorum communio, relictum eſſe locum, ex ante dictis ſatis, ni fallimur, intelligitur, atque rectius adhuc ex dicendis intelligi poſſe ſperamus. Plura illius confuſionis allegari quiviſſent incommoda, ſed hæc præſenti inſtituto ſuffecerint.

## §. VIII.

Quæ tribus proxime præcedentibus §§§. docuimus, præmittenda erant, ut ex iis facilior nunc reddi poſſet ejus, quam ſupra *mixtam* diximus, dotis definitio: ſunt nimirum *res ab uxore maxime ſub ipſum matrimonii initium in ſocietatem conjugalem illatæ, quibus præcipuæ Juris Juſtinianei de dotibus conſtitutiones modo haud ita concinno applicantur.* Nomen hoc, atque definitionem in illis, qui nobis ad manus fuerunt libris, nos non reperiſſe fatemur. Sit licet ergo novum novave. Sint etiam, qui eo forte offen-

*Mixta dotis definitio.*

*Nomen hoc, licet novum ſit, & forte alios offendat, rei ipſi*

*tamen convenit.*

offenduntur. Scandalum acceptum non curamus, res ipſa quippe nomen illud non tantum admittit, ſed etiam requirit, & ſingulas cauſas ſingulis appellationibus diſtingui commodius eſt.

*Origo hujus dotis repetenda eſt ex doctrinis JCtorum ſuperiorum maxime ſeculorum.*

Quod originem hujus confuſionis ſpectat, illa non tam ex jure aliquo ſcripto, vel non ſcripto (niſi ſiniſtras JCtorum in primis ſuperiorum ſeculorum interpretationes atque ſententias hac appellatione dignari velis) quam potius ex horum doctrinis non cohærentibus repetenda erit. Tametſi enim nonnulla permixtionis hujus veſtigia paſſim jam in ipſo Speculo Saxonico ejusque gloſſis, nec non Speculo Suevico appareant, plura vero in Juribus municipalibus, aliisque ſtatutariis occurrant; certum tamen eſt, horum Jurium Autores in iis componendis potiſſimum opera JCtorum, qui leges romanas familiariter cognitas habuerunt, fuiſſe uſos, ut proinde præcipua illius culpa in JCtis & judicibus illorum temporum hærere videatur, id quod etiam innumera propemodum eorundem Conſilia, Reſponſa, Sententiæ atque Deciſiones comprobant.

*Excuſantur quodammodo illi JCti.*

Interim illos ab æquioribus rerum æſtimatoribus veniam quodammodo impetraturos, & ea non hominum, ſed ſeculorum, quibus vixerunt, vitia fuiſſe judicamus.

*JCtorum interpretationes olim in jus commune tranſibant.*

Quemadmodum vero jam olim libera Romanorum republica illæ JCtorum interpretationes, quæ paulatim a populo probatæ, vel in foro vexatæ erant, tandem quaſi κυρίαι δόξαι, ſive ut CICERO interpretatur, ratæ ac firmæ ſententiæ in jus commune tranſibant, atque *receptum jus, receptus mos* dicebantur, *L. 2. pr. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. L. f. ff. pro legat. L. 2. §. 5. ff. de or. jur.* BRVNQVELL. *Hiſt. Jur. part. I. cap. IV. §. 8.* & FESTVS *Receptum* illud definivit, *quod a plerisque Prudentibus approbatum eſt:*

*Præjudicia neceſſitatem ſequendi inferunt.*

nec culpandi ſunt, qui præjudicia neceſſitatem ſequendi inferre præcipiunt, ſi tot eſſent res judicatæ, ex quibus

quibus consuetudo colligi queat, vel si jus dubium exemplis declarandum sit, BRVNNEM. *ad L. 13. C. de sent. & interl. nr. 4:* Ita haud temere existimes, quamplurima illa, quæ ubique obvia sunt, præjudicia tantam vim atque effectum habere, ut confusione, quam in hoc juris caput induxerunt, non attenta, ceu *jus* aliquod *non scriptum & morem receptum*, quo illa permixtio in scholis & foris satis approbata est, sequi deceat. Id vero nos negamus. Non enim præjudicia eo valent, ut ipsam rerum formam natura vel lege præscriptam atque determinatam variare possint, nec exemplis, sed legibus judicandum, *L. 13. C. de sent. & interl.* nec etiam spectandum, quid Romæ factum, quam quid fieri debeat. *L. 12. ff. de offic. Præsid.* Et potuerunt præjudicia ex errore potius (quod vere dotium materiæ contigit) provenisse, quam solida ratione niti, MEV. *part. V. Dec. CCLXXXII. cc. fin.* quod autem non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus obtinere non debet, *L. 39. ff. de LL.* quum ergo periculo non careat, in aliorum sententias atque præjudicia cæcum jurare velle, id maxime nunc nobis curæ erit, ut illis posthabitis, genuina, quæ rerum ab uxore marito suo allatarum, atque communionis bonorum conjugalis natura subministrat principia, & quæ ex his quoad illam repetendam oriuntur conclusiones, proponantur.

*Præjudicia ipsam rerum formam mutare nequeunt.*

*Periculosum est in aliorum sententias jurare velle.*

## §. IX.

Quum vero pluribus germaniæ potissimum inferioris regionibus & civitatibus conjugalis omnium bonorum communio vel moribus recepta, vel jure scripto firmata placuerit, Hamburgi quippe, Lubecæ, Brunsuigæ, Luneburgi, in Comitatu Ravensbergensi, aliisque plurimis locis eam vigere certum est; in aliis autem superioris maxime

germaniæ provinciis, v. g. magna Haſſiæ noſtræ parte, Bavaria, Ducatu Würtenbergico, Badenſi, Palatinatu, Comitatibus Solmenſibus, tota fere Wetteravia, aliisque quamplurimis (de quibus varia jura ſtatutaria allegantem videſis Ill. HEINECC. *elem. Jur. Germ. L. I. T. XII. §. CCCXXV. ſeqq.)* generalis quoad acquæſtum recepta ſit bonorum communio, in hismet ipſis etiam aliisve terris conjuges, repudiata pactis dotalibus univerſali vel generali, particularem hujus vel illius rei communionem præoptent; imo paſſim omnis bonorum communio (quod inter Perſonas Illuſtres fere perpetuum eſt) ex matrimonio exulet; vix commodiori atque planiori via thema noſtrum poterit pertractari, quam ſi ordinem ejus quaſi naturalem & maxime proprium ſecuti nunc cap. II. quid circa illud in iis locis, ubi univerſalis, deinde cap. III. quid in iis, ubi generalis, & denique cap. IV. quid in iis, ubi particularis vel plane nulla inter conjuges eſt bonorum communio, ſtatuendum ſit, tradamus.

*Ratio ordinis ſequentium capitum traditur.*

# CAP. II.

## DE REPETITIONE ILLATORVM EX COMMVNIONE CONIVGALI VNIVERSALI.

### §. X.

*Natura ſocietatis omnium bonorum exponitur.*

Societas omnium bonorum ita comparata eſt, ut aleæ quid contineat, & ſingulari erga hanc vel illam perſonam affectione, expreſſa vel tacita voluntate lucri alicujus faciendi gratia contrahatur, & qui eam coeunt, nihil quicquam, quod alienari non prohibitum, & honeſte acqui-

acquifitum eft, fibi retineant, fed omnia fideliter quoad ipfum dominium & fructus conferant: contra ex communi maffa etiam omnes fumtus, quos vel neceffitas, vel honeftas, vel æquitas exigit, unicuique fociorum, licet rerum ab iis in focietatem illatarum maxima fit inæqualitas, præftentur, & focietate morte aliove modo diffoluta, omnes res in eadem exiftentes, etiam lucra & damna, nifi lege vel pacto aliud difpofitum fit, æqualiter inter focios dividantur, licentiâ tempeftive & non dolofe renunciandi cuique eorum falvâ. cf. PVFFENDORF. *de off. hom. & civ. c. 15. §. 12. & de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. cap. 8. §. 4.* ibique HERT. *in not.* Eademque etiam facies eft illius omnium bonorum communionis, quam conjuges deficiente lege vel confuetudine coeunt. Illa autem, de qua hic potiffimum agimus, in eo nonnihil deflectit, quod utplurimum lege aliqua provinciali, vel moribus introducta, imo præcepta fit, & non tam lucri faciendi gratia, quam potius propter favorem & fecuritatem commerciorum, atque raro expreffa - fæpiffime tacita voluntate contrahatur, nulla alterutro invito, vel absque jufta caufa, dum matrimonium durat, renunciandi facultate relicta. Cæteroquin eadem, qua ifta, fefe habet ratione.

*In quibus communio O. B. inter conjuges ab illa deflectat, oftenditur.*

## §. XI.

Ex his liquet, conjugalem totorum bonorum communionem, & contractum focietatis de omnibus bonis inter eos, qui matrimoniali vinculo juncti non funt, initum variis con- & disconvenire modis. Conveniunt in eo, quod (1) utraque expreffa & tacita voluntate contrahi poffit, (2) de quibuscunque rebus alienabilibus & honefte quæfitis, quærendisve, (3) in utraque res quoad dominium & fructus fiunt communes. (4) quemadmodum hanc cum eo, cui vel nullæ vel modicæ faltem funt facultates,

*Communio O. B inter conjuges cum contractu focietatis de O. B. inter non conjuges inito variis modis convenit.*

inire licet; ita nec illam alterutrius conjugis paupertas impedit. (5) in utraque debita ex rebus communibus solvenda, omnesque sumtus honesti ex iisdem erogandi. (6) utraque alterutrius socii morte solvitur: passim tamen juribus statutariis, v.g. Hamburgensi *Part. III. Tit. III. §. 3. seqq.* cautum legitur, ut conjugalis omnium bonorum communio post alterutrius fata suo modo perennare debeat.

§. XII.

*Disconvenit vero in eo, quod legibus vel moribus suo modo præcipiatur.*

Disconveniunt vero in eo, quod (1) illa legibus & moribus multarum provinciarum imperata atque præcepta sit, ut nisi pacto expresso repudietur, eo ipso, tacito, quod persæpe fit, consensu contracta censeatur, dum inituri matrimonium eam statuto vel moribus introductam non ignorant, nec contrarium paciscuntur, voluisse enim utique eam, & legi se conformasse videntur, B. Canc. HERT. *Diss. de Societat. fact. contr. Sect. I. §. IV.* multifarie tamen passim ea limitatur atque restringitur, ita nimirum, ut in quibusdam terris obtineat parœmia: wann die Decke über den Kopf, ist alles gemein und beyde Eheleuth gleich reich, de qua vid. ABRAHAM a WESEL *tract. 1. de connub. bon. societ.* & CYPRÆVS *de sponsal. cap. V. §. 35.* & proinde non statim post benedictionem sacerdotalem, sed a tempore conscensionis thalami, in aliis post ipsam copulam carnalem, in aliis post elapsum a tempore benedictionis sacerdotalis annum, in aliis demum post procreationem sobolis exoriatur, quod ultimum Luneburgi inter conjuges, qui sunt bechbegüthert, valere, ex statutis hujus civitatis & actis huc transmissis didicimus. cf. LAVTERB. *Diss. de societ. bonor. conjug. cap. II. §. 22.* Hanc vero, nempe societatem omnium bonorum inter non conjuges tacite iniri posse, non quidem cum BACHOV. *vol. I.*

*Variis tamen modis restringitur atque limitatur.*

*Diss.*

*Diss. 27. th. 8. lit. f.* MENOCH. *Consf. 12. nr. 10.* CARPZOV. *part. III. Const. XV. def. 45.* aliisque negamus, tacite tamen contractam perraram esse quivis largietur. (2) Illa non principaliter lucri alicujus faciendi gratia, sed favore commerciorum recepta, ne scilicet creditores obærati mariti, uxore dotem & illata repetente, jacturam faciant. In hac vero contrahentes potissimum lucri quærendi rationem habent. (3) Illam alterutrius renunciatione altero invito facta solvi nos haud dixerimus. Hanc vero tali renunciatione dissolvi, dubium non est. (4) Illa divortio dissolvitur, quod ad hanc nullatenus potest applicari. Plura de his non cumulaturi, id saltem adjicimus, ex adductis con- & disconvenientiis facile intelligi, quod in decidendis, quæ circa conjugalem totorum bonorum communionem suboriuntur, quæstionibus nonnulla quidem societatis universalis principia adhibere, neutiquam vero eadem promiscue sequi liceat. Num igitur LAVTERBACH *cit. Diss. de Societat. bonor. conjug. cap. I. §. 3. nr. 4.* rem acu tetigerit, arbitratus, jura, quæ de societate loquuntur, in conjugali bonorum communione locum sibi vindicare, nihilque ab iis discedendum esse, nisi contraria loci consuetudo, vel statutum (nobis addendum videbatur: *vel natura hujus communionis*) aliud suadeat, facile quivis pronunciabit.

*Plures disconvenientia recensentur.*

*Principia, quæ alias in contractu societatis O. B. sequimur, ad hanc comm. O. B. inter conjuges promiscue applicari non possunt.*

## §. XIII.

Definimus conjugalem omnium bonorum communionem, quod sit *conventio de universis bonis alienabilibus, honeste quæsitis, & quærendis potissimum favore commerciorum inter conjuges ita communicandis, ut indivisa quoad dominium & fructus & ad maritum & uxorem pertineant.* Vnde consequitur, (1) eam esse veram aliquam societatem, quadantenus tamen anomalam, (2) omnia bona in hanc commu-

*Definitio communionis O. B. inter conjuges.*

*Nonnullæ conclusiones ex ea derivantur.*

munionem inferri debere, & (3) si suspicio sit, alterutrum quid non intulisse, juramentum manifestationis exigi posse. (4) illam valere, licet maxima bonorum inæqualitas, & alteruter Iro sit pauperior. (5) eam non extendi ad bona non alienabilia, v. g. feuda &c. (6) nec ad res delicto quæsitas. (7) in ea unam eandemque omnium bonorum, sive a marito sive ab uxore profectorum, esse naturam, adeoque (8) distinctionem in bona dotalia, paraphernalia & receptitia ei esse contrariam, & penitus hic excludi. (9) Privilegiis muliebribus ratione dotis & illatorum tacitæ nimirum hypothecæ & juri prælationis nullum in hac communione relictum esse locum. (10) Neutri conjugum jus aliquod solitarium vel præcipuum, quod ad bonorum dominium, tribui posse, sed (11) utrique dimidiam omnium rerum indivisam competere, & possideri, sive quicquam attulerint, sive non. (12) Neutrum posse rem aliquam sine alterius consensu alienare. (13) omnes sumtus & æs alienum durante ea ex communibus bonis esse solvendum. (14) damnum interitu hujus vel illius rei contingens esse utriusque conjugis commune. (15) eam regulariter durare quoad ipsum matrimonium durat. (16) ea dissoluta unumquemque dimidiam omnium rerum adhuc extantium petere, (17) contra vero ad dimidiam æris alieni finita communione residui solvendam adstringi, sive illud ante vel post contractam societatem, sive sciente, sive ignorante alterutro conjuge conflatum sit. (18) easdem, quæ alias ex societate, vel ejus occasione dantur, actiones, etiam conjugibus ad id, quod ex natura hujus communionis debetur, præstandum competere.

§. XIV.

*Vxor O. B. socia matrimonio soluto*

Tametsi igitur ex præmissis certum sit, quod uxor omnium bonorum socia soluto matrimonio non possit illata

illata repetere, sed vice eorum partem aliquam rerum communium ferat; æque tamen expeditum haud est, quota harum pars ipsi sit assignanda. Multis in locis legibus consuetudinibusque illa est determinata, ita ut tertiam (quod Hamburgi obtinet, vid. STATVT. HAMB. *Part. 3. Tit. 3. §.*) alibi vero majorem, alibi minorem accipiat. Sed quid, si jura statutaria vel consuetudinaria nihil certi definiant? Nobis judicibus, quod jam ex §§. XI. & XIII. nr. 11. constat, indistincte dimidia ipsi erit tribuenda, idque ipsum, dissentiat licet PVFENDORF *de Off. Hom. & Civ. Lib. I. cit. cap. 15. §. 12.* divisionem pro ratione eorum, quæ singuli in societatem initio intulerunt, fieri debere, affirmans, indoli communionis omnium bonorum propterea consentaneum esse arbitramur, quod (I) coeuntes illam singulari potius affectione erga socium, quam habita rerum illatarum ratione contraxisse censeantur, omnes quippe etiam maximi sumtus, quibus alteruter v. g. ad elocandas filias &c. carere haud potest, ex communibus rebus, quod & ipse PVFENDORF *cit. loc.* admittit, sunt præstandi, licet modicum forte in societatem attulerit, & alter divitiis abundans his sumtibus haud indigeat. (II) Lucrum & damnum in hac societate æqualiter inter socios dividendum est, licet inæqualis sit rerum collatio. vid. HERT. *in not. ad Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. c. 8. §. ult.* Quum ergo in erogatione expensarum, & lucri damnique divisione nullus habeatur ad res illatas respectus, nulla etiam solida obstat differentiæ ratio, quo minus idem quoad ipsam rerum communium divisionem statuendum sit. Imo ipse PVFENDORF cum allegato a se GROTIO *Lib. II. cap. XII. §. 24. nr. 3.* in societate omnium bonorum & divisione, rationem rerum communium initio illatarum omnino habendam esse

*non repetit illata, sed aliquam rerum communium partem.*

*scilicet dimidiam. Dissentit Pufendorff.*

negat,

*Sententia nr. 2. proposita firmatur rationibus,*

negat, & proinde sibimet ipsi quodammodo contrarius, nec adeo longe a nostra sententia recedere videtur. (III) Res in hac societate etiam sola sociorum voluntate, nulla media traditione, ita communicantur, ut dominium ipso jure *æquis portionibus* de uno in alium transeat. *L. 1. §. 1. & L. 2. ff. pro socio.* Equidem verba: *æquis portionibus* in alleg. text. non extant, virtualiter tamen voce: *communicantur* contineri, & ope interpretationis declarativæ legem hoc modo intelligendam esse, recte monet GOTHOFRED. *in not. ad cit. L. 1. lit. d.* unde inferimus, quod singuli sociorum finita societate non tantum ex lucro, sed ex communi etiam reliquarum rerum massa (quod & B. Cancell. WEBERO, haud incelebri Juris Naturæ Doctori, *in not. ad Pufendorff. de O. H. & C. dict. c. 15. §. 12. nr. 7.* nec non STRVVIO *S. J. C. Exerc. XXII. th. 27. cc. fin.* HECTOR. FELICIO *tract. de Societ. & commun. cap. XI. nr. 2.* visum est) æquales omnino partes petere queant. add. VOET. *ad tit. ff. pro socio. nr. 27.* (IV) Hæc sententia &

*& legibus moribusque germaniæ,*

antiquissimis germanorum moribus congruit, vid. §. VI. & multarum nostræ germaniæ provinciarum legibus & consuetudinibus, speciatimque laudata supra §. XII. parœmia: wann die Decke über dem Kopf, ist alles gemein, und beyde Eheleuthe gleich reich, confirmatur.

§. XV.

*Neuter conjux altero inscio & invito de re communi contractus celebrare potest, nequidem pro sua rata.*

Quum in hac communione omnes res jure dominii æque ad uxorem ac ad maritum pertineant, atque in re communi nemo sociorum quicquam invito altero jure facere, *L. 28. ff. commun. divid.* & proinde etiam maritus inscia & invita conjuge nullam harum rerum alienare queat, sponte sua sequitur, contractum inprimis dominii, aliusve juris in re translativum absque uxoris consensu de rebus communibus, sive mobilibus sive immobilibus, licet de sua

saltem

ſaltem parte celebratum, eſſe irritum. Equidem cum hoc aſſerto acriter pugnare videtur *L. Nemo. 68. pr. ff. pro ſocio*, quæ illis etiam, qui totorum bonorum ſocii ſunt, partem ſuam alienare permittit. Sed hunc textum haud inconcinne, ut nobis videtur, de illis tantum rebus, quas ſocii venales habent, intelligendum eſſe, monuit jam ſuo tempore GLOSSA, SALYCETVS, BARTOLVS, BALDVS, & GOTHOFRED *ad cit. Leg.* ita ut de aliis rebus non venalibus ab alterutro ſociorum nullo modo quicquam altero invito poſſit alienari, add. BRVNNEM. *ad L. ult. nr. 4. C. de commun. rer. alien.* Ill. HEINECC. *elem. Jur. Germ. Lib. I. Tit. XII. pag. 292.* ubi tradit, nullum olim ſuper venditionibus, permutationibus &c. factum eſſe inter germanos inſtrumentum, in quo non ſpeciatim uxoris conſenſus (quod per manus traditum, hodieque ſervant germani) fuerit expreſſus. Ex his conficitur, uxorem res communes a marito ipſa non conſentiente alienatas & ſtante & diſſoluta communione a quocunque poſſeſſore vindicare, ſicubi vero non extant, æſtimationem earum a marito petere poſſe, conf. CVIAC. *ad tit. Cod. de commun. rer. alien.* niſi tamen contrariæ ſint hoc vel illo loco leges provinciales conſuetudinesve, quarum varias recenſuit LAVTERBACH *cit. Diſſ. de Societ. bonor. conjug. cap. V. §. 3.*

*Obſtare huic aſſerto videtur L. 68. pr. ff. pro ſoc.*

*reſpondetur ad h. L.*

*Apud germanos conſenſus uxoris in contractum a marito celebratum inſtrumento de eo confecto inſeri ſolet.*

*Vxor res ipſa inſcia vel invita alienatas a quocunque poſſeſſore vindicat.*

## §. XVI.

Supra §. XIII. nr. 14. conſectarium retulimus, quod damnum in rebus communibus contingens utriusque conjugis commune ſit: id quod reſpectu damni fortuiti vix quisquam contradicere auſit, quamobrem uxor, ut æſtimatio rerum, quæ caſu perierunt vel corruptæ ſunt, diſſoluta ſocietate ipſi præſtetur, damnumque hoc pro rata reſarciatur, nullo jure petere poteſt. Quid vero de damno culpa mariti rebus communibus dato ſtatuendum ſit,

*Vxor reſarcitionem damni fortuiti rebus communibus contingentis petere nequit.*

ſecundum principia contractus ſocietatis, quæ jure romano, ipſa ſana ratione conſentiente, docemur, rectiſſime deciditur. Præcipiunt nimirum leges romanæ, ſocium ſocio ad damna dolo, lata, & levi culpa in concreto data reſarcienda obligari, a leviſſimæ autem culpæ præſtatione eſſe immunem. *L. 52. §. 2. L. 72. ff. pro ſocio. §. fin. Inſt. de ſociet. add. L. 5. §. 2. ff. commod.* Vxor igitur jure petit, ut maritus ejusve heredes ad æſtimationem rerum, quæ hujus dolo, lata levique culpa in concreto vel peremtæ vel deteriores factæ ſunt, nec non ad omne reliquum damnum, quod hoc modo communioni contingit, pro rata reſarciendum condemnetur. Quo nomine merito & illud detrimentum venit, quod pravis moribus mariti, pecuniam alea, Baccho, Venere, &c. perdentis, ſocietati infertur. Ratione dotis quidem maritus alias ad præſtationem culpæ levis in abſtracto, vid. *L. 24. §. 5. ſolut. matr.* & eo in caſu, ſi in propriis rebus eſſet diligentiſſimus, ad leviſſimam quoque adſtringitur. *L. 17. pr. ff. de jur. dot.* Verum quia omnis reſpectus dotis in hac communione exulat, allegatis nunc legibus etiam nullus in ea relictus eſt locus. Cæterum hoc argumentum de damno alterutrius conjugis culpa in rebus in ſocietate conjugali communibus contingente, in ſe ſatis diffuſum, plena jam manu tradidit LAVTERBACH *Diſſ. de peric. rer. in ſociet. conjug. illatarum,* hinc nos eidem prolixius exponendo haud immorabimur.

*bene tamen reſarcitionem damni, quod dolo vel culpa mariti contingit, petit.*

*Quo etiam pertinet, ſi maritus pecuniam alea, Baccho, Venere &c. perdat. Non reſpicitur hic ad culpam alias in rebus dotalibus præſtandam. Plura de hoc damno remiſſive.*

## §. XVII.

Quemadmodum autem finita ſocietate uxori ejusve heredibus, niſi contraria hoc vel illo loco lex vel conſuetudo exiſtat, ſecundum ea, quæ §§. præced. dicta ſunt, dimidia omnium rerum communium debetur; ita utique etiam ad æqualem æris alieni partem ſolvendam eſt obſtri-

*Contra uxor dimidiam æris alieni ſtante matrimonio conflati ſolvere tenetur,*

obstricta. Et hoc quidem respectu ejus, quod stante matrimonio conflatum est, nemo est, qui neget. Quod vero ad illud, quod jam ante matrimonium onerabat maritum, attinet, maximi nominis JCti LEYSER. *Med. ad ff. Spec. CLXXXIV. med. 8.* & MEV. *ad Jus Lubec. Lib. I. Tit. V. art. VII. nr. 26. seqq.* uxorem ab hujus solutione liberam penitus pronunciant, rati, id ipsum communioni huic optime convenire. At nobis hoc vel minime dicendum videtur. Quum enim (I) quod nec dissentientes diffitebuntur, res ante contractum matrimonium ad maritum pertinentes cum uxore communicentur, nil æquius erit atque justius, quam ut in æqualem etiam æris alieni jam ante matrimonium conflati partem veniat, ferendus quippe non est, qui lucrum amplectitur, onus autem annexum contemnit *L. un. §. 4. in f. C. de cad. toll.* & cujus quis participat lucrum, ejus etiam ut participet damnum, æquum est *L. 55. in f. ff. pro socio.* (II) Nec momentum aliquod ad hanc rem habet favor, quo alias uxores quoad res in matrimonium illatas gaudent, quandoquidem favor commerciorum iis in locis, ubi hæc universalis communio inter conjuges recepta, illi prævalet, sibique quod imputet, habet uxor, quod contrario pacto illam non reprobaverit. (III) Hæc societas aleæ quid continet, (§. X.) tales conventiones autem sustinentur, licet insignis læsio inde resultet, atque optime in eam quadrat illud germanorum: Wagen gewinnt, wagen verspielt, sive, quod eodem redit: Wer will gewinnen, muß beysetzen. cf. B. Canc. HERT. *Lib. I. paræm. XLIII.* (IV) Si autoritatibus pondus aliquod tribuere velis, laudatus modo HERT, JCtus eruditionis laude nulli secundus, non tantum *Lib. I. paræm. LXX. qui epouse femme, epouse ses dettes:* verum etiam integro Responso *Vol. I. Nr. CCCCLVII.* publico facultatis nomine

*a solutione vero ejus, quod ante contractum matrim. maritum onerabat, quidam DD. uxorem liberant. Contraria sententia variis argumentis defenditur,*

*atque autoritatibus.*

nomine hanc noſtram ſententiam defendit, eidemque alius primi ordinis JCtus LAVTERBACH *Diſſ. de aere alien. in ſocietat. conjug. contr. cap. II. §. 10. nr. 4. 5.* aliique, quos hi allegant, DD. adſtipulantur. Neque (V) *L. 27. ff. pro ſocio,* quam Ill. Dn. LEYSER *cit. loc.* in auxilium vocat, noſtræ ſententiæ contraria videtur. Nam (a) non omnino certum eſt, in illa de ſocietate totorum bonorum agi, & ſi vel maxime (b) id ipſum haberemus exploratum, attamen JCtus PAVLVS ſaltem affirmat, omne æs alienum manente ſocietate contractum de communi ſolvendum eſſe, licet, poſteaquam ſocietas diſtracta eſt, ſolutum ſit: ſed, de eo, an æs alienum ab alterutro ſociorum jam ante conflatum, quam ſocietas fuit contracta, de communi ſolvendum ſit, *cit. leg.* non quæritur, adeoque unius poſitio non eſt alterius negatio. Quin etiam (c) ſi PAVLVS *cit. leg.* æs alienum ante initam univerſorum bonorum ſocietatem contractum de communi ſolvendum eſſe negaret, hoc tamen favori commerciorum, qui longe major in Germania quam Romanorum Republica, minus conduceret, adeoque ob manifeſtam diverſitatis rationem ad conjugalem omnium bonorum communionem, potiſſimum propter favorem hunc introductum vix foret extendendum. Quibus non poſſumus quin addamus, favorem illum quibusdam in locis, v. g. Luneburgi tantum eſſe, ut uxor ne quidem dimidiam æris alieni ſolvendo ſeſe liberare queat, ſed juribus ſtatutariis ad illud in ſolidum teneatur.

*Reſpondetur ad L. 27. ff. pro ſocio.*

*Quibusdam in locis uxor O. B. ſocia ad omne æs alienum in ſolidum tenetur.*

## §. XIIX.

*Ad quæſtionem, an uxor etiam ad æs alienum, quod*

Quoad quæſtionem: *an uxor etiam ad illud æs alienum, quod maritus heluando, ultra modum ſuperbiendo, aliisve prodigalitatis ſpeciebus contraxit, pro rata exſolvendum obligetur?* diſtinguimus: *an maritus jam tempore initi matrimonii*

*talis*

*talis fuerit heluo, & uxor id ipsum sciverit; an vero talis non fuerit, vel uxor saltem juste ignoraverit?* Si *prius*, quaestio procul dubio est affirmanda, eo quod uxor, quae sciens luxurioso nubit, pravos mariti mores probare censeatur, sibique imputare debeat, quod tabulis nuptialibus communionem omnium bonorum non excluserit: Neque ipsi ad beneficium restitutionis in integrum confugere licebit, etiamsi adhuc in minorenni constituta sit aetate, vel curatoris consensus non accesserit, ipsave hujus communionis in loco domicilii maritalis receptae, vel ejus effectuum ignorantiam praetexat. Vbi enim jura hanc societatem inter conjuges aequam, & stabiliendae concordiae conjugali aptam judicarunt, ibi quoque minoribus, qui matrimonium sine consensu curatoris valide ineunt, facultatem, hanc communionem contrahendi concessisse videntur, LAVTERB. *Diss. de societ. bon. conjug. cap. III. §. 2. nr. 8.* B. Cancell. HERT. *vol. I. cit. Resp. 457. nr. 9.* neque etiam uxor, quippe quae pravos mariti mores bene habuit cognitos, facilitate aetatis lapsa, neque creditorum malitia laesa dici potest, sed ipsa potius in dolo versatur, propter quem beneficio restitutionis in integrum indigna est. *L. 9. §. 2. ff. de minor.* Praeterea pinguiori remedio, facultate scilicet communionem contrario pacto repudiandi, ipsi est prospectum, quo ipso extraordinarium restitutionis in integrum auxilium deficit, *L. 16. pr. ff. eod.* & hoc non tantum intuitu creditorum certum est, sed nec uxor id quod ex hac causa solvit, ceu damnum, mariti dolo, lata vel levi culpa societati datum, ab eo, vel heredibus ejus repetere potest, tametsi (§. XVI.) dictum sit, maritum ad resarcitionem hujusmodi damnorum teneri, quandoquidem aeque negligenter in propriis rebus versatur, & uxor id ipsum jam ante initum matrimonium haud ignoravit,

*maritus heluando contraxit, respondetur distinguendo.*

*Vxor, quae sciens luxurioso nubit, pravos ejus mores probat, neque in integrum restituitur, licet minorennis adhuc sit, vel curatoris consensus non accesserit, vel ignorantiam praetexat,*

*nec uxor, quod ex hac causa solvit, a marito ejusve heredibus repetit.*

ſufficitque, talem diligentiam rebus communibus adhibere ſocium, qualem ſuis adhibet: ſibi præterea imputare debet, qui minus diligentem ſocium ſibi aſſumſit, *§. f. Inſt. de ſociet.* Sin *poſterius*, uxor, ſimulac pravi & inemendabiles mariti mores ſeſe produnt, communioni, accedente tamen judicis autoritate, renunciare, bonorumque ſeparationem petere poteſt, VOET. *ad tit. ff. pro ſoc. nr. 25.* LAVTERB. *d. Diſſ. cap. 5. §. 4. nr. 7.* ne ſcilicet improbitate conjugis ſui depauperetur: Tantus enim nec moribus germanorum eſt favor commerciorum, & communionis bonorum conjugalis rigor, ut ne exiſtente tali renunciationis cauſa conjuges ab ea diſcedendi licentiam habeant. Verum ſi uxor tempeſtivam renunciationem omittat, eadem, quæ ad prius hujus quæſtionis membrum diximus, etiam ad hoc poſterius erunt transferenda.

*Vxor propter pravos mariti mores, quos ignoravit, communioni renunciare poteſt.*

§. XIX.

*An uxor etiam, quod maritus ex delicto debet, ſolvere teneatur?*

Denique hic ſubjicienda fuit & illa quæſtio: *an uxor partem rerum communium petens etiam ad id, quod maritus ex delicto, vel ante vel poſt initum matrimonium commiſſo, debet, pro rata ſolvendum obſtringatur?* movit jam hanc & præcedaneam LAVTERB. *dict. Diſſ. de ar. al. in ſoc. conj. contr. c. 3. §. 46. 47.* ſed de iis non tam reſpectu communionis omnium bonorum, quam potius bonorum ſimpliciter judicium tulit, & permixtim quodammodo nimisque generaliter mentem ſuam expoſuit. Nobis vix alia magis congrua ratione decidi poſſe videtur, quam adhibita diſtinctione, *an maritus res delicto quæſitas ſciente uxore in communionem intulerit, an ea ignorante? Illo caſu* turpia ejusmodi lucra hactenus quidem uxori ſociæ cedunt, ut maritus ea repetere nequeat, niſi ipſe ad reſtitutionem damnatus ſit, tum enim uxor non rem tantum reſtituit, ſed etiam, quoties marito ſimul mulcta irrogatur, hujus partem

*deciditur adhibita diſtinctione.*

tem agnoscere tenetur, ex rat. §. XVII. nr. 1. alleg. *Hoc vero casu*, si scilicet ignorans inhonesti lucri suscepisset portionem, eodem, uti nunc dictum est modo, ad restitutionem rei, minime vero ad pœnæ communionem tenetur. *L. 53. 54. 55. 56. 57. ff. pro socio.*

§. XX.

Summa igitur eorum, quæ hoc capite docuimus, in eo consistit: (1) Vxor omnium bonorum socia communione dissoluta petit dimidiam omnium rerum honeste quæsitarum, tempore dissolutionis illius extantium, nullo habito ad amplitudinem vel tenuitatem facultatum in societatem conjugalem illatarum respectu (§. XIV.) (2) petit dimidiam rerum post initam societatem a marito ipsa inscia vel invita alienatarum (§. XV.) (3) petit, ut damna, quæ conjugis sui dolo, lata, vel levi culpa rebus communibus data sunt, pro rata sibi resarciantur: (§. XVI.) (4) pro hisce tamen commodis tenetur uxor ad exsolvendam dimidiam æris alieni a marito tam ante matrimonium, quam hoc durante conflati (§. XVII.), etiam (5) ad dimidiam illius, quod maritus prodigalitate contraxit, si nimirum ipsa pravos mariti mores compertos habuerit (§. XIIX.). Immo (6) si delicti a marito commissi, quo res in societatem pervenit, conscia fuerit, ut partem quoque pœnæ præstet, obstringitur. (§. XIX.)

*Anacephalæosis dictorum.*

§. XXI.

Quod ad quæstionem attinet: *quando uxor partem sibi ex hac O. B. societate debitam petere posset?* illud quidem indoli omnis societatis convenit, ut facta ejus dissolutione quisque sociorum partem suam petendi jus habeat. Ex quo conficitur, (I) matrimonio morte mariti soluto uxorem partem suam vindicare, nisi lege, vel contraria hujus vel illius loci consuetudine, ut communio etiam mor-

*Dissoluta societate socius partem suam petit.*

*Matrimonio morte soluto uxor illam regulariter vindicat,*

mortuo alterutro conjuge inter ſuperſtitem & defuncti heredes, maxime liberos continuari debeat (quale quid paſſim obtinere nos haud fugit) receptum appareat. (II) matrimonio per divortium culpa mariti diſſoluto uxori, quamprimum ſententia judicis in rem judicatam tranſierit, portio ſua reſtituenda venit. Poteſt tamen uxor aliquando etiam durante adhuc matrimonio, ut res communes dividantur, ſibique pars ſua tribuatur, actionem intendere: eo nimirum caſu, quo (III) ſententia judicis propter ſævitiam mariti, aliamve juſtam cauſam quoad thorum & menſam ab eodem ſeparatur. Licet enim ipſum matrimonii vinculum inter eos perduret, iniquum tamen videtur, ut is invitæ conjugis ſocius bonorum manere debeat, a quo tantum abeſt, ut lucrum aliquod expectet, ut potius non poſſit non graviſſima quævis pertimeſcere damna atque incommoda. vid. HARPRECHT *Diſſ. de commun. lucror. nuptial.* §. *20.* Separationem vero quoad thorum & menſam, privata conjugum voluntate atque autoritate factam, hoc effectu non gaudere, pluribus IDEM probatum dedit argumentis *dict. Diſſ.* §. *2. 3. 4. 5.* Præterea omnibus aliis caſibus, quibus ſalvo matrimonii vinculo hæc O. B. communio ſolvitur, & quidem ſtatim ex tempore factæ diſſolutionis uxor partem ſuam petere valet: quo referimus (IV) ſi maritus in bannum Imperii declaratus, vel (V) ad perpetuos carceres, triremes, opusve publicum perpetuum condemnatus fuerit, *L. 4.* §. *1. L. 63.* §. *f. pro ſoc.* Si forte binos hosce caſus ad illum, quem paulo ante ſecundo loco poſuimus, referre malis, id ipſum utique pace noſtra fieri poterit. (VI) Si pars mariti fuerit confiſcata, *L. 65.* §. *12. pro ſoc.* §. *7. Inſt. de ſociet.* (VII) Si conjuges vel mutua voluntate in diſſolutionem communionis conſenſerint, vel (VIII) alteruter altero

*nec non matrimonio culpa mariti per divortium ſoluto.*

*Item Decreta propter mariti ſævitiam &c. ſeparatione quoad thorum & menſam, ſecus ſi privata autoritate conjuges ſe ita ſeparaverint.*

*Petit uxor partem ſuam ſi maritus in Bannum Imperii declaratus, vel ad perpetuos carceres, triremes &c condemnatus, vel mariti pars confiſcata fuerit, vel ſi mutua voluntate in diſſolutionem conſentiant,*

altero etiam invito ex justa causa, v. gr. propter dolum ejus eidem renunciaverit: utrumque enim salvo tamen creditorum anteriorum jure fieri posse non dubitamus. (IX) Si maritus bonis cedat. *§. 8. Inst. de societ.* *L. 65. §. 1. pro soc.* Tametsi autem vix existere posse videatur casus, quo marito cedente bonis uxori omnium bonorum sociæ pars aliqua ex communibus bonis competere queat, quandoquidem sicuti omnia bona, ita & æs alienum est commune, partemque ipsi alias debitam, æque ac illam, quæ ad maritum pertinet, absorbet, quum & ipsa ad illud pro rata solvendum teneatur: posse tamen maritum etiam in hac O. B. communione habere quoddam æs alienum, in cujus societatem uxor non venit, jam supra §. XIIX. & XIX. docuimus. Quin & ipse maritus uxori ad resarcienda damna in rebus communibus levi culpa data obstringitur, quamobrem socia conjux, marito bonis cedente, ea, quæ deductis deducendis ex sua parte supersunt, ceu domina etiam extra concursum creditorum vindicat: resarcitionem damnorum vero a marito datorum, ceu simplex mariti sui creditrix, omni privilegio destituta, classe quinta inter nudos chirographarios, aliosque simplices creditores petit.

*vel si alterutro conjuge etiam invito alter ex justa causa renunciet, vel si maritus bonis cedat. Qua ratione fieri queat, ut uxor in casu facta cessionis bonorum partem suam petat.*

## §. XXII.

Memoratis ergo casibus, ut divisio bonorum communium instituatur, portioque ex iis competens sibi tribuatur, uxor non rei uxoriæ, nec illa, qua alias ad repetendam dotem agitur, ex stipulatu actione, nec hypothecaria, nec alio quam communi dividundo judicio, ad resarcienda vero, quæ culpa mariti contigerunt, damna actione pro socio experitur. Qui vero fit? nos actiones romanas hodiernæ communioni bonorum conjugali, quæ natales suos non tam Quiritum, quam potius Teutonum legibus

*Vxor partem suam petit, nec actione rei uxoriæ, nec ex stipulatu, nec hypothecaria, sed communi dividundo. Ad resarcienda damna competit ipsi actio pro socio.*

*An nomina harum actionum ad O. B. communionem inter conjuges quadrent?*

moribusque debet, applicare. Edepol nomina actionum saltem romana: res ipsa nec romana, nec germana, sed juris naturæ est. Si tamen teutonica magis arrideat appellatio, facili negotio *actioni communi dividundo*, die Theilungs-Klage, & *actioni pro socio*, die Gesellschaffts-Klage, substitui poterit.

## §. XXIII.

*Cessat repetitio rerum consumtarum, & sine dolo vel culpa mariti peremtarum,*

*vel si pacta, & jura statutaria repugnent.*

*Moto concursu creditorum.*

Nihil pro ratione instituti hoc capite agendum nobis superest, quam ut cognitis iis, quæ uxor ex communione O. B. petit repetitve, tradamus quoque illos casus, quibus repetitio locum non invenit. Quum igitur (I) uxor omnium rerum in hac communione existentium pro indiviso domina sit, (§. XIII. nr. 10. & 11.) & res suo domino pereat, unusquisque etiam nobis non monentibus intelligit, rerum communium consumtarum, vel sine dolo, & lata, levique mariti culpa peremtarum, partem aliquam eam repetere non posse. (II) æque certum est, cessare repetitionem, si vel pacta inter conjuges inita, vel (III) Jura provincialia, consuetudinariave eam excludant. (IV) Quemadmodum uxor O. B. socia ad æs alienum a marito tam ante, quam post initum matrimonium conflatum pro rata sua tenetur (§. XVII); ita etiam tota bonorum conjugalium universitas moto concursu creditorum iisdem, si ab illo, quem §. XXI. nr. IX. retulimus, casu, discedas, cedenda erit, & uxor aliquam sibi exinde partem non vindicat, neque dotem petit, neque Juribus & privilegiis, alias uxoribus ratione dotis competentibus gaudet. (V) De illa autem quæstione: *an uxor propter adulterium a se commissum jure, partem suam rerum communium petendi, privetur,* non eadem est DD. sententia. Equidem secundum Leges romanas dotem conjugis adulteræ cessisse lucro innocentis mariti Papinianistæ noverunt, id ipsum

*An uxor adultera partem suam rerum communium amittat?*

ipſum vero ad amiſſionem partis uxori O. B. ſociæ competentis extendi poſſe negat HARPRECHT. *cit. Diſſ. de commun. lucror. nupt. §. 21. nr. 134. ſeqq.* cujus ſententia textibus & analogiæ Juris romani maxime conſentanea videtur, eo quod uxor adultera hoc jure iis ſaltem, quæ marito in dotem attulit, bonis privetur, omnium vero reliquarum rerum, & paraphernalium & receptitiarum dominium regulariter illæſum penes eandem remaneat, nec pœnalia extenſionem admittant ullam: proinde illa, de qua hic quæritur pars, quippe quæ dotis jure nullatenus cenſeri poteſt, amiſſionis pœnæ haud ſit obnoxia. In eo quoque HARPRECHTO conſentimus, pro ajente ſententia non multum præſidii ex *cap. 10. X. de conſuetud.* peti poſſe, quæ enim eo continetur, diverſa plane eſt a noſtra ſpecies: conſtituit nimirum Pontifex Honorius III. uxori adulteræ non deberi medietatem omnium bonorum, quæ maritus acquiſivit. De eo autem nos non quærimus, an uxor fœdifraga dimidiam ex bonis a marito acquiſitis lucretur, ſed an dimidia ſibimet ipſi acquiſita marito cedat, id quod Pontifex injudicatum reliquit. Etſi vel maxime quis exiſtimaverit, hunc ipſum caſum *cit. cap. 10.* ſimul innui, verborum tamen evidentia huic interpretationi repugnat.

*negat id ipſum Harprecht, cujus ſententia jure romano conſentanea videtur,*

*nec ei obſtat cap. 10. X. de conſuetud.*

## §. XXIV.

Majoris autem ponderis rationibus moti non poſſumus, quin propoſitam quæſtionem, etiamſi adulterium ſaltem fuerit præſumtum, affirmemus. Graviſſima enim maritus ab uxore adultera afficitur injuria, cujus ratione ut ſatisfactionem aliquam recipiat, omnino par eſt. Quum vero hæc univerſalis communio, dotem, nec non bona paraphernalia & receptitia ignoret, unamque ſaltem omnium bonorum naturam agnoſcat, & proinde maritus

*Quæſtio nr. 5. §. præced. propoſita affirmatur, etiamſi adulterium ſaltem ſit præſumtum.*

 nullam

nullam dotem lucrari possit, pessime profecto cum eo ageretur, si levisida uxor ipsum impune deludendi licentiam haberet; quin foret, ut impunitatis spes eam ad peccandum invitet, ipsumque adulterium in modum acquirendi dimidiam bonorum maritalium partem degeneret. Ponamus: maritus dives ducit in matrimonium pauperculam, omnium bonorum sociam, divortiumque non ita multo post ex causa adulterii ab ea commissi decernitur. Certe si hoc casu uxor partem sibi, ceu O. B. sociæ, debitam haud amitteret, ipsa brevi tempore opimam prædam, & delicti sui quasi præmium latura esset: Quod cum dictu absonum sit impiumque, pars conjugis nocentis innocenti marito satisfactionis loco jure meritoque relinquitur. Hanc decisionem antiquissimis germanorum moribus convenire probamus autore TACITO *de mor. Germ. c. 19.* cujus verba, quæ hanc in rem adjiciantur, digna sunt: *paucissima*, inquit, *in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus NVDATAM coram propinquis EXPELLIT domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit, publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.* NVDATAM autem & EXPVLSAM hoc modo adulteram in aliquam communium rerum partem venisse nemo facile crediderit. Antiquos hos germanorum mores expressa lege firmarunt Hamburgenses *part. 3. statut. Hamb. Tit. 3. art. 11.* verbis: **Ein Weib, so ihrem Mann bey seinem Leben untreu worden, und solcher Unthat gnugsam überzeuget, hat nach Absterben des Manns aus den Güthern mehr nichts zu fordern, dann was etwa derselbe ihr aus gutem Willen gegeben und verordnet rc.** Insignis præterea est eorum JCtorum numerus, qui adulteram lucro hocce statutario pactitiove privandam esse nobiscum consentiunt, inter quos nunc nominasse

*Hæc sententia antiquissimis germanorum moribus convenit,*

*quos retinuerunt Hamburgenses,*

minasse sufficiat Ill. BOEHM. *Diss. de privat. dot. & success. statut. ex cap. adult. c. 2. §. 20. in f.* CARPZOV. *quæst. crim. 64. nr. 32.* BERLICH. *part. IV. concl. 29. nr. 22.* SANDE *Lib. 2. Tit. 5. def. 7.* MEV. *ad Jus Lubec. part. 2. Tit. 2. art. 12. nr. 408.* HEESER *de commun. bon. part. 2. loc. 16. nr. 321. & 355.* MASTRILL. *L. 1. D. 57.* CHASSANÆUS *ad consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 2. verb. acquastus nr. 16.* Nec adversantur verba SPEC. SAXON. *Lib. 1. art. 5.* **Ein Weib mag mit Unkeuschheit ihres Leibes ihre weibliche Ehre krancken, ihr Recht verleurt sie aber damit nicht, noch ihr Erbe,** quippe, quod subjecta materia sat evidenter indigitat, non de uxore mœcha, nec de portione tali statutaria, sed de filia soluta, & bonis paternis propter stuprum non amittendis intelligenda. Quod si autem maritus, antequam divortium decernatur, non facta injuriæ remissione decesserit, ejus quoque heredes perfidam uxorem, partem sibi alias ex hac societate debitam petentem (dissentiat licet LUDOVICI *Diss. de successione conjug. deserent. §. 30.*) peremtoria adulterii exceptione per *cap. 4. X. de donat. int. vir. & ux.* submovere, imo etiam res, ad quas inferendas illa tenebatur, nondum vero illatas congrua actione petere valent. confer hac de re fusius agentem Ill. BOEHMER. *cit. Diss. cap. 2. §. 3. seqq.* & *§. 23. circa fin.* ubi etiam *§. 15.* casus, quibus hæc privatio cessat, exposuit. add. IDEM *Institut. Jur. can. Lib. 4. Tit. 19. §. 3.*

*adducuntur hanc in rem autoritates,*

*Non obstat Spec. Saxon.*

*Etiam mariti defuncti heredes uxorem exceptione adulterii repellere possunt,*

*imo etiam ad res inferendas, nondum tamen illatas, agere valent.*

## §. XXV.

Præterea (VI) malitiosam conjugis sui desertricem rerum communium partem amittere plena manu jam tradidit LUDOVICI *alleg. Differt. de successione conjug. deserent.* ad quam B. L. brevitatis causa remittere liceat. Quod etiam (VII) ad separationem quoad thorum & mensam eo extendendum est modo, ut uxor, cujus culpa hæc contingit,

*Uxor desertrix partem rerum communium amittit,*

*nec non illa, quæ sua culpa quoad thorum &*

*mensam est separata,* tingit, saltem eorum, quæ post factam separationem ab innocente marito acquisita sunt, nulla prorsus gaudere debeat parte. HARPRECHT *cit. Diss. de commun. lucror. conjug. §. 15. nr. 86. & §. 19. 20.* *item quæ fata conjugis sui properavit,* Multo magis (IIX) rerum communium parte indigna judicanda est uxor, si fata conjugis dolo culpave properaverit, *L. 10. §. 1. solut. matrim.* add. *L. 4. de agnosc. & al. lib.* *vel vita insidias struxit.* aut (IX) vitæ ejus insidias saltem struxerit. *An & illa, quæ post mortem mariti intra annum luctus stuprum commisit? Affirmantes & negantes remissive.* An vero (X) vidua post mortem mariti maxime intra annum luctus stuprum committens partis hujus jacturam faciat, quæstio est pomo Eridos haud absimilis, & adeo controversa, ut nova decisione eandem indigere existiment. Agmina JCtorum affirmantium & negantium sistit BERLICH *part. IV. concl. 31.* relatisque & illorum & horum argumentis, tandem ipse horum castra sequitur, quorum sententiam & nostro probamus calculo. *Quid eo casu dicendum, si quis defloratam pro virgine duxit?* Sicuti autem (XI) siquis defloratam pro virgine duxit, matrimonium, salva tamen marito actione injuriarum, ipso jure nullum est, vid. DEVTERON. *22. vers. 14. seqq.* PVFENDORFF *de J. N. & G. Lib. 6. cap. 1. §. 26.* GROT. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 11. §. 6. nr. 2.* & omnibus effectibus conjugalibus destituitur; ita per se patet, nullam hic contrahi bonorum communionem, adeoque quæstionem de portione in hac societate uxori alias competente, propter dolum ejus & injuriam marito illatam amittenda, omnino esse supervacaneam: Id quod etiam in omnibus reliquis casibus, quibus matrimonium ipso jure nullum declaratur, erit pronunciandum. Tantum de primo & secundo capite.

*SOLI DEO GLORIA.*

*CAPVT*

## CAPUT TERTIUM
DE
## REPETITIONE DOTIS ET ILLATORUM EX COMMUNIONE GENERALI, SIVE BONORUM SIMPLICITER,
&
## CAPUT QUARTUM
DE
## REPETITIONE DOTIS ET ILLATORUM NULLA VEL SALTEM PARTICULARI SOCIETATE INTER CONJUGES EXISTENTE

posterior Dissertatio exhibebit.

## COROLLARIA.

I. IN illis provinciis, ubi communio bonorum generalis, sive quoad acquæstum inter conjuges obtinet, uxor etiam dimidiam partem mercedis pro ædibus conductis, quas ipsa cum marito inhabitavit, solvere tenetur.

II. Locator etiam quoad res uxoris, quas ipsi maritus inscia hac oppignoravit, pro dimidia illa mercedis jure retentionis uti potest.

III. Donatio inter virum & uxorem adhuc hodie regulariter invalida pronuncianda est.

IV. Non major castitas requiritur in fœmina, quam in masculo, sed eadem.

V. Sponsalia de præsenti & de futuro pessime confunduntur cum sponsalibus puris & conditionatis.

VI. Condictio causa data causa non secuta, qua dos prænumerata matrimonio non secuto repetitur, in foro seculari institui potest.

PRÆ-

*PRÆNOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO*

# DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

# PRÆSES.

I*Nter multas alias, quas,* Doctiſſime Domine Reſpondens, *pertractaſti, etiam de illa §. XXIV. egiſti quæſtione:* an uxor omnium bonorum ſocia partem ſibi alias competentem propter adulterium præſumtum amittat? *Affirmaſti eandem: idque me judice, non ſine ratione. Noſti quoque variis ex cauſis adulterium præſumi, quas ego vero hic non recenſebo. Non poſſum tamen, quin* Tibi *mentem meam breviſſimis exponam de illorum ſententiis, qui vel ex ſola uxoris deoſculatione ab alio, quam marito, facta adulterium præſumi, eamque propterea dote, vel portione illa privandam eſſe ſibi perſuadent. Sunt inter illos* FELINVS, CVRTIVS jun. BALDVS, PETRVS GREGORIVS, NEVIZANO, *aliique plures veterum JCtorum, præter alios etiam hanc lepidam utique reddentes rationem,* quod ſicut percuſſio eſt præparatorium ad homicidium, ita oſculum ad libidinem. *Melanione profecto caſtiores fuiſſe oportet, qui tantum oſculi absque lege & ratione finxerunt periculum. Germania noſtra tales ſemper, quibus ſingularis debetur caſtitatis laus, aluit JCtos, quorum tamen vix unum nominare licet, qui ſolum oſculum, etiamſi vel maxime uxori minus reluctanti, aliive ab hac ipſa illatum ſit, adeo nocivum dicere auſit. Germani potius Gallorum more, ſi fabula vera eſt, de honeſtate ſuarum mulierum confiſi arbitrantur, hujusmodi oſcula honeſtæ amicitiæ cauſa dari. Sed tantum de hoc.* Tibi *denique,* Doctiſſime Domine Reſpondens, *de*

*de sponsa, quam quotidie deosculаris, impense gratulor: dicitur illa* SOPHIA. *Sponsa castissima, quam ipsa Themis atque Minerva copulatrices* Tibi *junxerunt. Hac opulentam, quam* Tibi *constituit, artium liberalium dotem nunquam repetitura eandem porro liberaliter augebit. Vale. Dabam die 10. Februarii MDCCXLI.*

---

QVi sua legiferae sacrauit tempora Diuae,
Praemia pro studiis, hac duce, digna refert.
Talia Te decorant, Iuuenum cultissime, *Drauthi*,
Sola cui virtus quae coleretur, erat.
Nam labor assiduus, mansuetaque numina, Musae,
Pluribus ignotam Te docuere viam.
Macte animo! Themis ipsa Tuo iam plaudit honori,
Cetera sunt meritis accumulanda Tuis.

*Haecce in sinceram amicitiae tesseram apponere voluit*

J. M. S.

---

L*Audo conatus; cum sit prudentia praesto.*
*Non dubito,* PATRIÆ *commoda certa feres!*

Haec amica manu gratulabundus adposuit

F. W. HOFFMANN,
Regim. & Consistorii Giess. Secretarius.

---

DAphne reicht schon Zweigen dar, um davon den Krantz zu flechten,
Den, mein Freund! sein tapffrer Mund Ihm geschickt weiß zu erfechten,

Deß

Dessen Fleiß so würdig ist, als behertzt noch mehr zu ringen,
Und den Preiß der Doctor-Kron (wünsch ich) bald davon zu bringen.

**A. L. W.**
**G.S.L.S.**

---

Sehr werthgeschätzter Freund! da Dein erweckter Fleiß
Ein kluges Meisterstück heut abzulegen weiß;
So sollte zwar Dein Freund aus Freundschaffts-Pflicht beginnen
Und auf ein Lobgedicht nach Deiner Würde sinnen;
Allein Du weist es wohl: Du brauchst dasselbe nicht,
Weil Dein gelehrter Mund ja selbst Dein Lob ausspricht;
Doch soll Dir, **Werther Freund**! mein reitzendes Vermögen
Ein Zeugnüs meiner Schuld dahin an Tage legen:
Der Himmel seegne Dir Dein Sinnen, Dein Bestreben,
Und lasse Dich dereinst der Welt zum Wunder leben.

Diese wenige Zeilen wolte seinem werthen Vetter glückwünschend beyfügen

JUSTUS HERMANN PFAFFENRATH,
Hoch-Gräfl. Hohen-Solmischer Secretarius.

---

Du zeigst nicht nur, **mein Freund**! wie Ehbruch, Haß und Grufft
Nach aufgelöstem Band den Braut-Schatz wiederrufft;
Nein! Dein gelehrter Fleiß, der sich anheut bemühet,
Und Dich mit muntrem Trieb nach jener Bahne ziehet,
Legt heut der klugen Welt noch was besonders bey,
Und zeigt, daß Kunst und Witz die beste Mitgifft sey;
Dann diese bleiben stets auf des Besitzers Stuffen,
Und werden nimmermehr von etwas wiederruffen.
Auf, fahre nur so fort! So wird Dein Aufergehn
Biß in die spatste Zeit hoch angeschrieben stehn,

Und

Und dieß zu Deinem Ruhm Dir auch im Tod gedeyen;
So kan ein weises Licht das Vatterland erfreuen.

Hiermit wolte dem Herrn Respondenten/ seinem werthgeschätzten Freunde/ ein Zeugniß seiner Ergebenheit abstatten

Dessen ergebenster Diener

JOHANNES FRIDERICVS ADOLPHI,

der Schule zu Lich Con-Rector.

---

HAec dum bella paras, cunctis nunc inde patescet,
Quae sint ingenii & sedulitatis opes,
Mox laeto ingenii captabis munera plausu!
Eccur non Themidos munia sacra feras?

*Nobilissimo Domino Respondenti de primo Eruditionis Specimine ita gratulari debuit, voluit*

F. E. LIEBKNECHT,

Cand. Jur. *Oppon.*

---

Wär unser Vatter nicht im Ehstands-Ritter-Orden,
Sagt unsre Mutter nicht zu seinem Schertzen Ja,
So wären Ich und Du ja nie gebohren worden,
Von beyden wäre nicht das kleinste Härgen da.
Drum recht, geehrter Freund! daß Du zur ersten Probe
Von solchen Sachen schreibst, was Ehstands Rechtens sey.
Wer ist, der nicht mit mir Dein Unternehmen lobe,
Ja selbst das Nymphen-Chor stimt Deinem Eiffer bey.

F. R. RAYS,

Licha-Solmensis, Cand. Juris,

*Oppon.*

---

D*Raudtius* is Genitor, qui lucet splendide Lichae,
*Draudtius* hic Genitus, sidus in orbe fiet!

Notitiæ culmen; dotes meruere labores,
Præmia, splendorem, carmina, vota pia.

*Nobilissimo atque Clarissimo Domino Respondenti,*
*Fautori & Amico suo honorando,*
*gratulationis ergo posuit*

G. LYNCKER,
LL. Cult. *Oppon.*

---

Werthster Vetter! **Du** wirst **Dich**
Heut im disputiren zeigen:
Und ich schließ draus sicherlich,
Daß **Du** wirst bald höher steigen:
Daher muß ich **Deine** Proben
Mittelst dieses Wunsches loben.

Zum geneigten Andencken seines werthgeschätzten
Vetters setzte dieses glückwünschend bey

CARL AUGUST CLEMM,
Cand. Jur. Nieder-Clea Nassovicus.

---

Die grosse Redlichkeit, die ohngemeine Treu,
Die Liebe ohne Schein, so **Draudt** allzeit besessen,
Bewegen heute mich, daß ich nebst andern sey
Derselben eingedenck und nimmermehr vergessen,
Vielmehr durch folgendes anpreise hocherfreut,
Und ruff: Es lebe **Draudt**! Viel Glück zum **Musen**-
Streit!

Hiermit wolte sich seinem werthgeschätzten Freund
gehorsamst recommendiren

P. L. METTENIUS,
LL. Cultor, Hasso-Darmstad.

* * * * * *